



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Pivs Papa IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

**A** bus, ac synodalibus concilijs editis generalibus, vel specialibus, statutisque & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis: priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro insufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, hac vice duntaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse, latissimeque derogamus. Ceterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Nouembrii, M. D. L. X. I. Pontificatus nostri anno secundo.

Cæs. Hloieriu.

PIVS PAPA IIII.

**B** *Motus proprius S. D. N. D. Pij diuina providentia Papæ IIII. in fauorem Inquisitorum hæreticæ prauitatis, Quòd procedere possint contra Regulares.*

*Inquisitores hæreticæ prauitatis procedere possunt contra quoslibet religiosos & exemptos hæreticos, seu aliàs quouis modo de hæresi suspectos, vel culpabiles, dummodo a suis superioribus non fuerint præuenti, quos punire possunt iuxta canonica instituta, nullis in contrarium constitutionibus quicquam iuuantibus.*

Pius Papa Quartus, ad futuram rei memoriam.

**R** ASTORIS æterni vices, meritis licet insufficientibus gerentes in terris, sic vigilantia nostræ sollicitudinem circa omnes curæ nostræ diuina dispositione commissas exercere studemus, ne illæ ab oculi suo, extra quod saluus nemo esse potest, aberrantes, in luporum rapacium insidias ullo modo incidere valeant, sed intra caulas debitè custoditæ, ad cælestia pascua feliciter peruenire possint. Nuper siquidem accepimus nonnullos Rom. Pontifices prædecessores nostros antea actis temporibus ex causis tunc expressis diuersi ordinis etiam mendicantibus, quòd contra eorum fratres, & religiosos in quibuscunque causis etiam hæresis, nisi per eorundem ordinum superiores, & prælatos inquiri, aut procedi quoquo modo non possit, inter alia priuilegia per suas litteras concessisse, & nos forte illas confirmasse: super crescente autem temporis, & hominum malitia, hac nostra potissimum ætate (quod sane dolenter referimus) in agro euangelici Patrisfamilias zizania etiam inter dictos fratres, & religiosos in tantum pullulasse, messesq; tritico rarecentes adeo polluere videmus, vt vulpeculæ iam in aperto vineam Domini demoliri nitantur: Quare nos pro pastoralis officij nobis diuinitus crediti debito, quantum cum Deo possumus, opportuna in præmissis remedia adhibere volentes; vt quos Dei amor a malo non reuocat, penæ saltem formido a delinquendo retrahat: Et propterea considerantes, qd si dilecti filij inquisitores hæreticæ prauitatis, tam generales, quàm ubique locorum deputati particulares, in causis hæresis huiusmodi contra quoscuq; quorumuis ordinum etiam quomodolibet exemptorum, & mendicantium fratres professores & religiosos, quandocunq; causas ipsas hæresis ab eis inchoari contigerit, procedere valerent, profecto id in non modicam fidem catholicæ cederet utilitatem, cum præsertim ex hoc superioribus, & prælati ordinum prædictorum, sicut verisimiliter credendum est, ad subditos suos sub probata religionis norma continendos, transgressoresque debitis pœnis compescendos facile reddi possint diligentiores; idcirco Motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, hac nostra firmiter valitata constitutione, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, ordinamus, atque decernimus, quòd de cetero in omnibus Christiani orbis partibus Inquisitores hæreticæ prauitatis, tam generales quàm in quibusuis prouincijs, ciuitatibus, oppidis, terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra quoscuq; fratres professores, & religiosos ordinum prædictorum, ac etiam contra quoscuq; quouis modo priuilegiatos et exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodo † ab eorundem fratrum professorum, & religiosorum superioribus & prælati in causis huiusmodi præuenti non fuerint, iuxta facultates officij ipsius inquisitionis inquirere & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos secundum canonicas sanctiones castigare, atque punire, ceteraq; omnia & singula facere, gerere, & exequi liberè, & licitè possint & valeant: super quibus plenam & liberam eisdem inquisitoribus, & eorum cuiuslibet facultatem concedimus & potestatem: Sicque per quoscuq; iudices, & commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari, & diffiniri debere: Irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in prouincialibus & synodalibus concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus; & ordinum prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, uel quavis firmata alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis etiam Mari magno, &

Edita anno Domini 1562.  
Ex Archivio generalis Inquisitionis Romane

† Vide omnino que dixi in Directorio Inquisitionis super q. 28.

Bulla

Bulla aurea vel alijs quomodolibet nuncupatis eisdem ordinibus & illorum superioribus, ac præfatis, etiam prædictos Rom. Pontifices prædecessores nostros, & sedem Apostolicam, ac etiam per nos aut quoscunque alios quouis modo concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis: quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, indiuidua, de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium tenores, præsentibus pro sufficienter expressis, & totaliter insertis habentes, illis alijs in suo robore permanfuris, hac vice duntaxat ad effectum præsentium specialiter & expresse derogamus, ac sufficienter & plene derogatum esse volumus, atque decernimus, ceterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ originalibus litteris ipsis adhibetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, Die prima Aprilis, Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Pontificatus nostri anno tertio.

Cef. Glorierius.

Anno a Natiuitate Domini M.D.LXII. Indictione quinta, die vero decima mensis Aprilis, Pont. S. in Christo patris & D.N.D. Pij diuina providentia Papæ iij. Anno tertio, Retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt ad Valuas Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apost. ac in Acte Campi Floræ; dimissis inibi illarum copijs auscultatis & collationatis cum eiusdem originalibus litteris, vt moris est, per me Thomam Roger. S.D.N. Papæ, sanctæ inquisitionis cursorem.

PIVS PAPA IIII,

*Facultas Illustrissimorum Cardinalium Inquisitorum generalium  
procedendi contra Prælatos.*

Illustrissimi Cardinales Reipub. Christianæ Inquisitores generales procedere possunt contra Episcopos & quoslibet alios prælatos, etiam Cardinalatus dignitate decoratos absentes, hæreticos, vel de hæresi suspectos aut diffamatos, in regionibus suspectis commorantes, ad quos liber non patet accessus, eos que citare vt intra terminum, quem illis præfixerint, debeant se eisdem generalibus Inquisitoribus præsentare sub penis excommunicationis, suspensionis, ac priuationis omnium dignitatum, & beneficiorum & alijs arbitrio ipsorum imponendis: nec dicti prælati possunt per procuratorem aut quemlibet excusatorem respondere, confectus processus summo Romano Pontifici est referendus, vt sententia iusta et debita contra tales promulgetur.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Edita anno Do-  
mini 1564.  
Ex Archiuo ge-  
neralis Inquisi-  
tionis Romanæ

**R**

OMANVS Pontifex, Christi Vicarius, ac beati Petri successor, cui ipse Christus Dominus noster oues suas pascendas enixe ter commendauit, ne oues deperditæ de eius manu quandocunque requirantur, omni studio & solertia continuè inuigilare debet, vt à sancta Romana Ecclesia, quæ cæterarum caput est, & magistra, deuiantes ac aberrantes, ad gregem Dominicum totis viribus reducat, & quas Dei timore proposito & salutaribus monitionibus ad illam allicere nequiverit, temporalium saltem pœnarum metu coerceat. Cumque nos propterea postquam ad summum Apostolatus apicem, licet immeriti, diuina fauente clementia assumpti fuimus, statim mentis nostræ aciem eo direximus, vt hæreticæ prauitatis vndique extirpatis erroribus fides Catholica vbique augmentum suscipiat, & diffusius protendatur, nihilque quod huic rei profuturum cognouimus, prætermiserimus. Et nihilominus sicut nuper non sine graui cordis dolore & animi amaritudine accepimus, nonnulli prælati, & in dignitate ecclesiastica ac episcopali ordine constituti, ad quos veluti in partem sollicitudinis nostræ vocatos magis spectaret ceteros præsertim eorum curæ creditos ab erroribus reuocare, & in eisdem erroribus pertinaciter persistentes insequi, nedum in similes errores hæreticos grauiter prolapsi fuere; sed etiam cæterorum hæreticorum fautores, receptatores, & auxiliatores existunt, & eandem fidem Catholicam cuius defensores esse deberent, in dies oppugnare non verentur. Volentes igitur huic tam pernicioso morbo, prout nostro incumbit officio, occurrere, ac ne ulterius progrediatur, quantum in nobis est, prouidere: Motu proprio per Apostolica scripta venerabilibus fratribus, & dilectis filijs nostris Inquisitoribus contra hæreticam prauitatem generalibus in alma Vrbe nostra pro tempore residentibus, quibus vt contra quoscunque etiam episcopali, ac quoscunque alia etiam Cardinalatus prædictos dignitate procedere possint, per alias nostras indulsum tenore præsentium, committimus & mandamus, vt omnes & singulos hæreticos & hæreticorum fautores, receptatores, & auxiliatores prædictos, de huiusmodi criminibus diffamatos, in prouincijs & locis in quibus Lutherana secta inualuit, commorantes, ad quos ob ipsorum hæreticorum frequentiam notorium est, tutum, seu saltem liberum non patere accessum, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, & alia quacunque etiam